



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

viiij. Carnem rabidum cognoscendi curandi ac praeseruandi ratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

accensus venatu redierit, * fuscā pulegio cōmixtam ori eius infunde. est vero fusca acetum, & aqua calida & oua duo. infundes autem cum oleo rosaceo.

*Canem rabidum cognoscendi curandi ac
preseruandi ratio.*

CANem rabidum, ita certo cognosces. Primum subsistit dementatus prorsus ac furore percitus, ac contendit mordere hominem, neque facile audit; adeo vt nec dominos cognoscat suos. Igitur hoc quando vides, præbe illi hanc potionem. Rosæ agrestis radices contundito ac terito bene, & misce contufis parum aquæ fontanæ, deinde per linteum colato, ac vt bibat canis, dato.

Aliud.

Atque canem rabie percitum cognosces sic. in inferiore parte, nodis qua lingua tenacibus hæret, accrescit lues vermiformis neruo candido non absimilis. priusquam autem augeatur, totumque occupet guttur canis, rescindito, & curabis sola apta diæta.

Preseruatiuum.

Accipe ficum agrestem, quam comminutam vna cum adipe suillo veteri, vo-

randam cani præbeto . aut hederam ad tertias vsque decoctam , bene mane cani dato in die solis.

Aliud.

Gallarum fimum , & asini testiculum, cum vino fragranti, vt comedat dato.

Aliud.

Herbam chelidoniam cum adipe suillo minutatim concisam, in pane exhibeto.

Ad lippientes & inflammatos canis oculos.

PRimum oculos eius foueto aqua calida, & vino, in quo decoctæ sunt rosæ, fructus labruscæ vitis, & vel auriculam muris, myrti folia, deinde oleum & oui albumen commiscens imposito oculis, & lacrymas quidem restringet, inflammationem vero repercutiet.

Ad albuginem oculi veterem.

SI oculus canis albescere ceperit, sic curato. Taurini fellis drachmas duas, succi fœniculi, mellis, singulorum oculos vncias nouem, croci vncias tres: his, vbi probe contriueris; inungito.

Ad dolores oculorum.

SI oculos canis doluerit, fimum gallinarum vna cum aceto imposito.

Y ij